

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXIV - N. 1

1992

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 1992

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCATIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administratos Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
Allocutio Summi Pontificis ad quosdam sodales "World Jurist Association of the World Peace through Law Center" coram admissos	7
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos qui XXXV annuali Conventui "Canon Law Society of Great Britain and Ireland" interfuerunt coram admissos	10

ACTA CONSILII

Praecipuorum actorum conspectus	13
---	----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Ss.mi, quo Ordinatio generalis Romanae Curiae foras datur	17
---	----

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Instructio quoad aliquos adspectus usus instrumentorum communicationis socialis in doctrina fidei tradenda	18
--	----

STATUS CIVITATIS VATICANAЕ

Legge sulla disciplina delle attività di volontariato.	28
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VI)	32
II. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VII)	56
III. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio VIII)	92
IV. Coetus studii « De sacra Hierarchia » (olim « De Clericis ») (Sessio IX)	128

Opera a Consilii Bibliotheca Recepta	177
--	-----

Notitiae	179
--------------------	-----

III

**COETUS STUDII
« DE SACRA HIERARCHIA »**

**Sessio VIII
(dd. 5-10 Octobris a. 1970 habita)**

Diebus 5-10 octobris 1970, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, Consultores convenerunt Coetus studii « De Sacra Hierarchia », sub directione Rev.mi Onclin, Secretarii Adiuncti Commissionis. His conventibus intererant: Exc.mi sex et Rev.mi quinque Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant Rev.mi duo Consultores.

Antequam disceptatio incipiat de quaestionibus hac in Sessione pertractandis, Rev.mus Secretarius Ad. quaerit an quis animadversiones habeat proponendas ad Relationem conclusivam praecedentis Sessionis, quae fuit VII^a. Nulla fit animadversio, ideoque, facta suffragatione, Relatio unanimiter approbatur.

Transitus ergo fit ad examen diversarum quaestionum, quod examen ita procedit:

**I. DENUO PERPENDUNTUR CANONES IN PRAECEDENTI
SESSIONE APPARATI**

A) RECOGNOSCITUR SCHEMA CANONUM DE CURIA DIOCESANA

Cann. 1-2

Nulla fit animadversio


Can. 3

Textus huius canonis ita in praecedenti Sessione approbatus fuit:

« Omnes qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationem ab Episcopo determinatam;

2° ... »



Quaerit Exc.mus primus Consultor an iusiurandum semper necessarium sit. Proponit Exc.mus secundus Consultor, et ceteris placet, ut dicatur: «secundum rationem *a iure* vel ab Episcopo determinatam ».

Can. 4

Textus praecedentis Sessionis hic est:

« De negotiis atque de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, serventur praescripta cann. (1573-1593); de iis quae ad administrationem dioecesis spectant, serventur praescripta canonum qui sequuntur ».

Suggerit Rev.mus Secretarius Ad., et ceteris placet, ut canon sic incipiat: « *De causis* atque de personis ...».

Cann. 5-6

Non fiunt animadversiones.

Can. 7

Textus pridem probatus sic sonat:

« Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi debent ab Ordinario a quo emanant, una cum Curiae cancellario; qui vero cancellarius Caput Curiae de actis certius facere tenetur ».

Obicit Rev.mus tertius Consultor hunc textum intelligi posse ac si subscriptio cancellarii sit ad validitatem actus. Ad solvendam difficultatem, haec redactio proponitur et approbatur: « ... a quo emanant, *et quidem ad validitatem, atque insimul a* Curiae cancellario; ... ».

Can. 15

Paragraphus prima sic sonabat:

« § 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, cuius praecipuum munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in Curiae archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur. In causis quibus fama sacerdotis in discrimen vocari possit, cancellarius debet esse sacerdos ».

Proponit Rev.mus Secretarius Ad., et ceteris placet, ut expungantur ultima verba: « In causis... esse sacerdos », quia de hac re iam providetur in can. 16 § 2.

Cann. 16-21

Non habentur animadversiones.

Can. 22

Disceptatio fit de § 2 praecedentis redactionis, quae sic sonat:

« § 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento hoc ultimo casu facti brevi summario textum sententiae definitivae exhibente ».

Iuxta Exc.mum quartum Consultorem ultima verba huius paragraphi intelligi possunt ac si caritati adversentur. Non ita censem Rev.mus Secretarius Ad., quia documenta servantur sub secreto. Immo, cum sub secreto custodiantur, nihil obstare videtur quominus documenta originalia serventur, quia sic vitatur labor supplementarius in Curia, scil. redigendi summarium documentorum. Exc.mus secundus Consultor tenet hac in re libertatem relinqui posse. Rev.mus tertius Consultor censem vigentem normam antiquam esse et prudentiae respondere. Demum, Exc.mus quintus Consultor postulat ut textus servetur ut iacet, expunctis tamen verbis « hoc ultimo casu », quod placet.

Can. 23

Non habentur animadversiones.

Can. 24

Textus huius canonis sic sonat:

« § 1. Curet Episcopus dioecesanus ut archivorum quoque ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, paroocialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur, firmo praescripto cann. (470 § 3; 1522, nn. 2, 3; 1523, n. 6)

§ 2. Documenta originalia ex praedictis archivis ne efferantur, nisi ad normam can. 21 ».

Quoad § 1, quaedam habetur disceptatio. Demum Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « Curet Episcopus dioecesanus ut *acta et documenta* archivorum quoque ... piorum locorum diligenter serventur atque inventaria ... episcopali servetur ».

(Placet haec redactio).

Quoad § 2, sequens textus approbatur:

« § 2. Acta et documenta de quibus in § 1 ut inspiciantur aut efferantur, serventur normae ab Episcopo dioecesano statutae ».

Can. 25

Fit brevis discussio quoad § 2, ad determinandum utrum examinatores eligendi sint a Consilio presbyterali, Episcopo proponente, an potius ab Episcopo, proponente Consilio.

Placet tandem ut serventur canonis verba.

Consideratur quoque an expediat ut, si examinator a munere removendus sit, Consilium presbyterale audiri debeat: periculum enim adest infamiae, si causae exponi debeant Consilio, quod tamen secretum servare tenetur, et forte peius est ut quis removeatur sine ulla adducta causa.

Placet igitur ut textus maneat.

Cann. 26-28

Textus servatur uti iacet.

B) SCHEMA CANONUM RECOGNOSCITUR DE CONSILIO PRESBYTERALI

Can. 1

Textus § 1 sic sonat:

« § 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, totum presbyterium repraesentans ... »

Proponente Exc.mo primo Consultore, expungitur verbum *totum*, quod non est necessarium et difficultates gignere potest.

Can. 2

Servatur textus, uti iacet.

Can. 3

Textus praecedentis Sessionis hic est:

« Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° ...

2º Aliqui, ad normam statutorum Consilii presbyteralis, possunt esse membra nata, qui scilicet ratione ipsius officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent.

3º ... »

Exc.mus secundus Consultor desiderat ut, in n. 2, verba clarius indicent quosdam sacerdotes, ratione officii, non solum posse, sed et debere membra esse Consilii presbyteralis. Exc.mus quartus ac Rev.mus tertius Consultores et alii malunt formulam canonis, quae est satis ampla. Rev.mus Secretarius Ad. novam redactionem proponit, quae omnibus placet: « Aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse possunt, aut, si ita ordinaverit Episcorum Conferentia, esse debent, membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati ad Consilium pertinent ».

Can. 4

Paragraphus 1 sic sonat:

« § 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum habent:

1º Omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent;

2º Sacerdotes saeculares qui, licet in dioecesi non sint incardinati, in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent et officium aliquod ecclesiasticum exercent;

3º Sacerdotes, saeculares et religiosi, qui ab Episcopo dioecesano deputantur ut in bonum dioecesis partem aliquam stabilem fori externi habeant ».

Censem Rev.mus tertius Consultor verba numeri 3 de sacerdotibus saecularibus esse repetitionem praescripti contenti in numero 2.

Respondet tamen Rev.mus Secretarius Ad. casus esse diversos, quia in numero 3 agitur de iis qui nec domicilium nec quasi-domicilium habent in dioecesi. Praeterea, adiungit Rev.mus sextus Consultor, aliud est theologicamente pertinere ad presbyterium, aliud vero habere vocem activam et passivam in Consilio presbyterali.

Iis attentis, proponente Rev.mo Secretario Ad., sequens textus approbatur:

« § 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum *exercere valent*:

1º Omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul

in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent, *aut in eiusdem bonum officium aliquod ecclesiasticum adimplent*:

2º Sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati *necnon religiosi qui in dioecesi* domicilium aut quasi-domicilium habent et *ibidem* officium aliquod ecclesiasticum *in foro externo* exercent ».

(Expungitur vero numerus 3 praecedentis redactionis).

Can. 5

Redactio praecedens sic sonat:

« Modus eligendi membra Consilii presbyteralis ad normam statutorum componi debet, ratione tamen habita diversarum categoriarum personarum ex variis scilicet regionibus dioecesis, ministeriis et aetatibus ».

Postulat Rev.mus tertius Consultor ut ratio quoque habeatur aliorum criteriorum. Praeterea, Exc.mus quartus Consultor introducendam esse censem clausulam « inquantum fieri potest », quia hoc praescriptum difficile applicatur in parvis dioecesibus.

Sequens igitur redactio approbatur:

« Modus eligendi membra Consilii presbyteralis ab statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita aetatis, maxime autem diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum ».

Can. 6

Textus praecedentis Sessionis sic sonat:

« § 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo, salvis praescriptis iuris universalis.

§ 2. Audiendum est in causis quae a iure generali statutae sunt, atque in causis quae regimen generale dioecesis respiciunt de iudicio Episcopi ».

Proponente Rev.mo Secretario Ad., redactio § 2 emendatur, quo clarius intelligatur:

« § 2. Audiendum est in causis quae iure *universalis* statutae sunt *aut* quae iudicio Episcopi regimen generale dioecesis respiciunt ».

Cann. 7-11

Nulla fit animadversio. Textus canonis 11 invenitur in pag. 18-19 huius Relationis (cfr. infra, pp. 105-106) [sub can. 431 CIC].

C) SCHEMA CANONUM RECOGNOSCITUR DE CONSILIO PASTORALI*Can. 1*

Nulla fit animadversio.

Can. 2

Postulat Exc.mus primus Consultor ut, in § 3, expungatur verbum « prudentia ». Maioritati autem placet ut textus servetur.

Can. 3

Paragraphus 2 sic sonat:

« § 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur ».

Loco verbi « extinguitur » aliqui Consultores aliud verbum praeoptant: « dissolvitur » (Exc.mus quintus Consultor, cui accedit Rev.mus tertius Consultor), vel « a suis functionibus cessat » (etiam Exc.mus quintus Consultor).

Rev.mus Secretarius Ad., sic ponit quaestionem: verbum adhibendum tale esse debet, ut nullo modo innuat novum Episcopum Consilium pastorale constituere teneri. Fit de hac re suffragatio, et omnes Consultores concordant novum Episcopum nulla obligatione teneri constituendi Consilium pastorale.

Fit ergo nova suffragatio de verbo in textu adhibendo, et plerisque Consultoribus placet ut servetur verbum « extinguitur ».

Can. 4

Paragraphus 2 sic sonat:

« § 2. (Consilium pastorale) saltem in anno convocetur ».

Uti animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., adest mendum typographicum et, consentientibus omnibus, textus esse debet: « saltem *semel* in anno convocetur ».

Can. 5

Nulla fit animadversio.

II. DE CAPITULIS CANONICORUM

SCHEMA CANONUM DE HAC RE A REV.MO SECRETARIO AD. PROPONITUR

Can. 1

Textus propositus hic est:

« Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, est clericorum collegium, cuius est functiones liturgicas sollempniores in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere; Capituli cathedralis praeterea est munera adimplere, quae ipsi ab ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur ».

Rev.mo tertio Consultori magis placet ut Capitulum alterum non vocetur collegiale, sed collegiatum. Plerisque autem placet ut adhibeatur verbum « collegiale ».

Can. 2

Hic est textus propositus:

« § 1. Capitulum canonicorum cathedrale ubi exstet servetur, immo vel erigatur in dioecesis, in quibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, id expediat.

§ 2. Capituli tum cathedralis, tum collegialis, erectio, innovatio aut suppressio pertinet ad Episcopum dioecesanum, attentis normis ab Episcoporum Conferentia regionis legitime statutis ».

Obicit Exc.mus quartus Consultor nihil in Codice dicendum esse de servando Capitulo. Attamen Rev.mus Secretarius Ad. legit n. 10 Litt. S. C. pro Clericis, mense aprilii 1970, et expedire censem ut textus provisorie servetur, donec responsiones Conferentiarum Episcopaliū habeantur.

Exsistimat quoque Rev.mus septimus Consultor paragraphum 1 esse inutilem, quia sufficit quod dicitur in § 2. Concordant omnes in eo, quod § 1 continet solummodo normam transitoriam, sed placet ut textus provisorie servetur, donec responsiones habeantur Conferentiarum.

Can. 3

Textus propositus hic est:

« Unumquodque Capitulum, sive cathedrale sive collegiale, sua habeat statuta, per legitimum actum capitularem condita atque ab Episcopo dioe-

cesano probata; quae statuta ne mutentur aut abrogentur, nisi approbante eodem Episcopo dioecesano ».

Nulla fit animadversio.

Can. 4

Hic est textus propositus:

« § 1. Statutorum Capituli, salvis semper fundationis legibus, est ipsam Capituli constitutionem et numerum canonicorum determinare; determinare quaenam a singulis canonicis ad cultum divinum persolvendum sint peragenda; ordinare conventus in quibus Capituli negotia aguntur atque, salvis quidem iuris communis praescriptis, conditiones statuere ad validitatem liceitatemque negotiorum requisitas.

§ 2. Statutorum etiam est determinare quaenam sint canonicorum insignia et privilegia; item eorundem definire emolumenta, tum stabilia tum occasione perfuncti munera solvenda ».

Postulante Exc.mo octavo Consultore, placet ut in § 1, lin. 3, dicatur: « *quaenam a Capitulo et a singulis ...* ».

Exc.mus primus Consultor, cui accedit Rev.mus tertius Consultor, desiderat ut in § 2 expungantur verba « *et privilegia* »: nemo enim condere potest statuta ubi sibi ipsi privilegia conferat.

Placet ergo ut haec verba deleantur.

Quaestio etiam agitatur a Rev.mo Secretario Ad. de insignibus deque simplicitate quae hodie postulatur. Placet vero ut textus maneat, quia nihil dicit quod simplicitati aduersetur.

Postulante Rev.mo sexto Consultore, placet quoque ut in § 1, lin. 3, dicatur: « *ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum ...* ».

Can. 5

Hic est textus propositus:

« § 1. Inter canonicos habeatur qui Capitulo praesit, atque alia etiam constituantur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita traditionis in regione vigentis.

§ 2. Clericis qui non sunt canonici, qui quidem ad Capitulum non pertinent, committi possunt alia officia, quibus, ad normam statutorum, canonicis auxilium praebent ».

Textus placet ».

Can. 6

Proponente Rev.mo Secretario Ad., hic veniet can. 401 § 1 vigentis Codicis.

Can. 7

Hic est textus propositus:

« § 1. Episcopi dioecesani, auditio Capitulo, non autem Vicarii dioecesani nec Vicarii generalis aut Episcopalis, est omnes et singulos conferre canonicatus, tum in ecclesia cathedrali tum in ecclesia collegiali, revocato quolibet contrario privilegio; eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso Capitulo, qui eidem praesit.

§ 2. Canonicatus Episcopus dioecesanus conferat sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus, qui laudabiliter ministerium aut magisterium exercuerunt ».

Proponente Rev.mo septimo Consultore, placet ut in § 1 dicatur « non autem *Administratoris* dioecesani », loco « Vicarii dioecesani ».

Item, iuxta petitionem Rev.mi tertii Consultoris, placet ut in § 2 dicatur: « qui laudabiliter ministerium *pastorale* exercuerunt ».

Can. 8

Textus propositus sic sonat:

« § 1. Capitulo canonicorum singulise canonicatibus ne amplius pleno iure uniantur paroeciae; quae unitae alicui Capitulo extent, ab Episcopo dioecesano, auditio tum Capitulo tum Consilio presbyterali, a Capitulo separantur.

§ 2. In ecclesia, quae simul sit paroecialis et capitularis, instituatur parochus, sive inter capitulares electus sive non; qui parochus omnibus gaudet officiis, iuribus et facultatibus quibus ad normam iuris pollent parochi (*Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21 § 2).

§ 3. Episcopi dioecesani est certas statuere normas, iuri communi consentaneas, quibus officia pastoralia parochi atque munera Capitulo propria debite componantur, quibusque prospiciatur ne parochus capitularibus nec Capitulum paroecialibus functionibus impedimento sit; conflictus, si quidam habeantur, dirimat Episcopus dioecesanus, qui imprimis curet ut fidelium necessitatibus pastoralibus debite prospiciatur.

§ 4. Quae ecclesiae, quae insimul sit paroecialis et capitularis, conferantur eleemosynae, praesumuntur datae paroeciae, nisi aliud constet ».

Postulat Rev.mus tertius Consultor ut in § 1 expungantur verba « singulisve canonicatibus », quod probatur. Etiam in § 1, Exc.mus secundus Consultor expungenda esse censet verba « auditio tum Capitulo tum Consilio presbyterali »: haec enim erat norma transitoria statuta in Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*. Placet suppressio.

Exc.mus quartus Consultor putat verba « iuri communi consentaneas » non esse necessaria, quia de re evidenti agitur. Placet ergo ut supprimantur.

Simplicitatis causa, Rev.mus Secretarius Ad., proponit ut § 4 si sonet: « Quae ecclesiae, insimul paroeciali et capitulari ... »
Probatur haec emendatio.

Can. 9

Plerique Consultores, suffragatione facta, voluerunt ut novus canon conficeretur de canonicis ad honorem.

Textus hac de re a Rev.mo Secretario Ad. propositus sic sonat:

« § 1. Episcorum Conferentiae regionis est iudicare de opportunitate instituendi in dioecesibus territorii canonicos ad honorem; qui, si haberi possint, Episcopi dioecesani, non autem Administratoris dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopalis, est, auditio quidem Capitulo, eosdem, sive dioecesanos sive extra-dioecesanos, nominare, numero autem tantum in statutis Capituli definito.

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem nominatus, Episcopus dioecesanus, praeter Capituli sui consilium, Episcopi, cui subditus est nominandus, assensum impetrat; quo deficiente, irrita est nominatio.

vel

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem ut nominet, Episcopus dioecesanus, praeterquam ipsius Capituli consilio, assensu eget Episcopi, cuius nominandus est subditus; quo assensu deficiente, nominatio est irrita ».

Facta suffragatione, magis placet secunda formula proposita pro § 2.

Rev.mus tertius Consultor suggestit ut adhibeat vox « Episcopus » quoties de actibus agatur ab ipso solummodo ponendis; dicatur vero « Ordinarius » si tales actus poni etiam possint ab aliis, nempe a Vicariis, etc. Hoc placet omnibus, ita ut prae oculis habeatur suggestio in revisione generali canonum posthac facienda.

III. DE SEDE IMPEDITA AUT VACANTE

A) DE SEDE IMPEDITA

Can. 429 CIC.

Exc.mus primus Consultor, iuxta ea quae in scripto voto exposuit, censet regimen dioecesis impeditae pertinere imprimis ad eum quem ipse Episcopus impeditus designaverit. In casu vero de quo in § 3 canonis 429, designatio pertinere debet ad Consilium presbyterale. Quoad hanc ultimam propositionem Rev.mus Secretarius Ad., obicit membra Consilii presbyteralis non facile coadunari posse, quia non in eadem civitate, sed dispersi inveniri solent.

Rev.mus tertius Consultor censet hanc nominationem faciendam esse a Capitulo cathedrali vel, eo deficiente, a Collegio consultorum. Hoc vero non placet, quia esset contra mentem novae legislationis ut Capitulum cathedralre regimen dioecesis assumat.

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut designatio in casu fiat a coetu Vicariorum generalium et episcopalium.

Exc.mus nonus Consultor proponit redactionem quae in suo voto scripto invenitur, nempe: « Sede impedita, nisi Sancta Sedes aliter provideat, dioecesis regimen transit penes Episcopum coadiutorem, vel si non adsit aut si ipse deficiat, penes Vicarium generalem dignitate Episcopi auxiliaris auctum vel, si non adsit aut si ipse deficiat, apud Vicarium generalem episcopali dignitate carentem, vel alium virum ecclesiasticum ab Episcopo designatum ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut conceptus Sedis impeditae ille sit qui in CIC nunc statuitur, quod omnibus placet.

Deinde vero, ad mentem propositionis Exc.mi noni Consultoris, ipse Rev.mus Secretarius Ad. has ideas suggerit: « Sede impedita, nisi Sancta Sedes aliter provideat, dioecesis regimen transit: 1) penes Episcopum coadiutorem; 2) vel si non adsit, penes Episcopum auxiliarem, quod si plures sunt, penes antiquiorem in ordine nominationis; 3) iis deficientibus vel impeditis, penes unum ex Vicariis generalibus vel episcopalibus vel penes alium sacerdotem, secundum ordinem ab ipso Episcopo in elenco stabilitum quamprimum post captam dioecesis possessionem ».

Luxta Rev.mum sextum Consultorem norma quoque statuenda est pro casu quo elenches desit, attenta ex. gr. antiquitate nominationis.

His attentis, placet omnibus ut, deficientibus tum iis qui ipso iure assumere debent dioecesis regimen, tum elencho ab Episcopo confecto, *Collegium Consultorum virum ecclesiasticum eligat*, qui dioecesim impediat regat.

Placet quoque ut deinde ponatur quod proponitur ab Exc.mo nono Consultore in suo voto, nempe: « Qui dioecesis regimen assumit, ipso iure potestatem Vicarii capitularis (qui vero nunc vocandus est Administrator dioecesanus) habet pro tempore quo sedes impeditur tantum, etiamsi de Episcopo coadiutore agatur ».

Rev.mus decimus Consultor, attentis praesertim necessitatibus certae regionis determinatae, hanc facit propositionem:

« Quodsi communicatio cum loci Ordinario legitime constituto physice vel moraliter impossibilis evadat, potestates eiusdem, in quantum sunt communicabiles, ad singulos vicarios foraneos transferuntur. Casu quo communicatio etiam cum istis interrupatur, easdem potestates communicabiles singuli parochi nanciscuntur ». Haec propositio fit quia, ubi libertas deest, quibusdam in casibus melius est ut desit Pastor principalis, quam ut indignus constituatur.

Mens Consultorum quoad hanc propositionem haec est:

- 1) Bene intelliguntur rationes ob quas propositio fit.
- 2) Hi tamen casus respiciunt ius extraordinarium, ergo non sunt in Codice includendi.
- 3) Huic quaestioni forte provideri potest, etiam ante novi Codicis promulgationem, mediante norma a Rev.mo decimo Consultore proposita: haec norma, tamquam ius extraordinarium, commendari potest a nostro Coetu competenti auctoritati.

B) DE SEDE VACANTE

Can. 430 CIC

Placet ut maneat § 1, sed, proponente Rev.mo sexto Consultore, haec § constituere debet canonem distinctum, quod ceteris placet.

Paragraphus 2 huius canonis sic sonat:

« § 2. Nihilominus, excepta collatione beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum, omnia vim habent quae gesta sunt a Vicario Generali ... »

Proponentibus Rev.mis tertio, sexto et decimo Consultoribus placet ut expungantur verba: « excepta collatione beneficiorum aut officiorum ecclesiasticorum ».

Claritatis causa, etiam probatur haec mutatio: « Vim habent omnia quae gesta sunt a Vicario Generali ... ».

Paragraphus 3 sic sonat:

« § 3. A certa translationis notitia Episcopus intra quatuor menses (nunc vero dicendum est: intra tres menses) debet dioecesis “ad quam” petere eiusdemque canonicam possessionem assumere ad normam cann. 333, 334 et a die captae possessionis dioecesis “a qua” plene vacat ... ».

Claritatis causa, approbatur additio proposita a Rev.mo Secretario Ad. « ... et a die captae possessionis *dioecesis novae*, dioecesis “a qua” plene vacat ... ».

Can. 431 CIC.

Paragraphus 1 sic sonat:

« § 1. Sede vacante, nisi adfuerit Administrator Apostolicus vel aliter a Sancta Sede provisum fuerit, ad Capitulum ecclesiae cathedralis regimen dioecesis devolvitur ».

Uti animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., nunc regimen devolvi nequit ad Capitulum cathedralē.

Proponit Exc.mus secundus Consultor ut, hoc in casu, regimen devolvatur ad collegium Vicariorum generalium et episcopalium.

Placet vero plerisque Consultoribus ut regimen assumat Collegium consultorum, de quo canon redigendus est in sectione « De Consilio presbyterali » ponendus.

Textus probatus pro hoc novo canone, qui erit canon 11 in sectione « De Consilio presbyterali », sic sonat:

« § 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano elegantur aliqui sacerdotes qui collegium consultorum constituant, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Consilium presbyterale non constans plus quam septem membris implet munera quae iure collegio consultorum competunt ».

Post hunc canonem probatum, placet omnibus ut regimen assumat Collegium consultorum.

Quaestio ponitur a Rev.mo tertio Consultore de praesidentia istius

Collegii. Ad mentem Exc.mi secundi Consultoris, Rev.mus Secretarius Ad. hunc textum proponit, qui probatur: « Eadem praesidet qui ab Episcopo fuit designatus, eoque deficiente senior ordinatione ».

Suggerit Rev.mus Secretarius Ad. ut expungatur § 2 canonis 431 CIC, utpote quae inutilis esse videatur. Placet vero ut servetur quia, uti animadvertisit Rev.mus tertius Consultor, haec norma nemini affert nocumentum.

Can. 432 CIC.

Quoad § 1 sequentes quaestiones agitantur:

1) De oeconomio, qui sede vacante non cessat, nihil hic dicendum est, quia providetur satis in canonibus iam redactis.

2) Nomen adhibendum iam amplius esse nequit « Vicarius Capitularis ». Multa proponuntur nomina (Vicarius presbyteralis, Vicarius dioecesanus, Vices gerens), et tandem omnibus placet nomen « Administrator dioecesanus ».

3) Quoad nominationem Administratoris dioecesani, placet omnibus ut fiat a Collegio consultorum. Disceptatur autem utrum servandum sit necne ius praesentationis quod quibusdam Capitulis cathedralibus competit: si servandum sit, electio forsitan fieri potest a Collegio consultorum una cum Capitulo cathedrali.

Exc.mo quinto Consultori non placet ut servetur ius praesentationis, utpote quod a Concilio Vaticano II reprobatum sit.

Accidunt Rev.mus septimus et Exc.mus quartus Consultores qui censem discriben admittendum non esse inter Capitula cum iure praesentationis et Capitula sine hoc iure.

Exc.mus quartus Consultor has considerationes exponit: *a)* perpendendum est utrum in novo Codice ius electionis vel praesentationis in genere servandum sit necne; *b)* alia quaestio est cuinam competit electio Administratoris dioecesani; *c)* expedire videtur ut, hac in re, eadem norma vigeat pro omnibus dioecesibus, nempe ut electio fiat semper a Collegio consultorum; *d)* iurgia oriri possunt si ius electionis duobus collegiis tribuatur.

Facta suffragatione, provisorie admittitur a maioritate ut ius electionis competit unice Collegio consultorum.

Quoad ceteras §§ (2-4) huius canonis, placet ut substantialiter serventur, expuncta vero mentione oeconomi; praeterea, ubi dicitur « Capitulum » scribendum est « Collegium consultorum ».

Can. 433 CIC.

Servetur quoad substantiam, expuncta mentione oeconomi in § 2. Praeterea, in § 3 addenda est norma iuxta quam, si oeconomus eligatur Administrator dioecesanus, tunc novus oeconomus nominetur a Consilio de rebus oeconomicis.

Can. 434 CIC.

Placet ut § 1 redigatur modo positivo (« Ut ad Vicarii Capitularis (nunc Administratoris dioecesani) munus valide deputari valeat ...), utque exigatur aetas 35 annorum.

Quoad § 2 sufficit ut formula hoc exprimat: tantummodo eligatur sacerdos qui sit doctrina et virtute praestans.

Paragraphus 3 deleatur et alio loco ponatur norma generalis: « Si praescripta ad validitatem non fuerint servata, tunc Metropolita provideat ».

Nova quaestio

Iuxta Exc.mum primum Consultorem expedit ut, sede vacante, regimen non a collegio, sed a persona physica assumatur.

Fit ergo suffragatio, utrum hoc in casu expediat necne ut potestas Vicarii generalis a iure prorogetur. Quinque Consultores affirmative respondent, quinque vero negativum suffragium dant.

Proponitur tunc nova suffragatio: « Ubi adest Episcopus auxiliaris, ipse assumat regimen, quodsi plures sint, antiquior nominatione; secus, Caput Curiae. Ipse immediate convocare debet collegium electorum ad designandum Administratorem dioecesanum ».

Haec propositio omnibus placet, excepto Rev.mo tertio Consultore.

Can. 435 CIC.

Placet ut § 1 servetur quoad substantiam.

Paragraphus 2 maneat solummodo in eo quod statuit Vicario (nunc Administratori dioecesano) competere iura Vicarii generalis. Praeterea, dicendum est Administratori dioecesano omnia iura competere quae Episcopi dioecesani sunt, nisi aliter ex rei natura vel a iure statuatur.

Paragraphus 3 servetur quoad substantiam, dempto tamen verbo « nominatim ».

Can. 436 CIC.

Placet ut maneat uti est.

Can. 437 CIC.

Expungatur.

Can. 438 CIC.

Servari potest, sed alio loco: post canones de electione.

Can. 439 CIC.

Expungatur.

Can. 440 CIC.

Servari potest.

Can. 441 CIC.

Est applicatio principii generalis, ergo potest deleri.

Can. 442 CIC

Expungi potest, quia necessaria non est iam haec praescriptio.

Can. 443 CIC.

Servari potest, sed § 1 brevius redigatur. In § 2, loco « per initam » dicatur « per captam ».

Can. 444 CIC.

Servetur, sed § 1 brevior sit. Dicatur, ex. gr.: « Novus Episcopus ab iis qui ad interim regimini dioecesis providerunt et ab oecono mo dioecesis adimpleti muneri rationem exigere debet ».

Sic expletur haec prima expensio materiae « De sede impedita aut vacante », circa quam canones redigendi sunt iuxta criteria hac in Sessione perpensa.

IV. DE PAROECIIS ET DE PAROCHIS

Proponente Rev.mo tertio Consultore, placet ut, in successiva disceptatione, prius de parochis agatur, deinde vero de Vicariis foraneis.

Quamquam canonum schemata de hac materia nondum apparata sunt, incipit disceptatio de paroeciis ac de parochis, ut generalia criteria determinentur, iuxta quam postea canones redigantur.

Exc.mus nonus Consultor sequentia postulata exponit: *a)* loco systematis paroecialis traditionalis, admittatur possibilitas instituendi unitates pastorales ampliores, qui a coetu quodam presbyterorum efformentur; *b)* agnoscatur vera communis responsabilitas in cura animarum, sub ductu quidem unius personae physicae, quae communis responsabilitas latius patet quam actualis relatio inter parochum et vicarios; *c)* conceptus magis amplius decanatus seu vicariatus foranei, qui coniungit sacerdotes unius vel plurium unitatum pastoralium.

Uti animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., illa persona physica de qua sub *b)* aequivalet parocho, qui vero vocari potest « vicarius paroecialis ».

Exc.mus quintus Consultor refert de iis quae acta sunt in Sessione plenaria S.C. de Clericis: plerique sustinendum esse censem sistema traditionale, uti appareat ex votis Conferentiarum. Censem vero Rev.mus Secretarius Ad. nihil obstare quominus duo haec systemata exsistant, ita ut singulae Conferentiae seligere valeant quod maluerint.

Deinde vero sequitur disceptatio de singulis canonibus actualis Codicis ubi de parochis agitur, ut criteria revisionis magis determinari valeant.

Can. 451 CIC.

Hae quaestiones considerantur:

1) *Potestne admitti ut parochus sit persona moralis?*

In genere datur responsum negativum.

2) *Estne servanda vox « parochus »?* Haec vox servanda videtur, quia clare exprimi debet responsabilitatem recidere in unum presbyterum, non in coetum complexive sumptum.

Proponit Rev.mus septimus Consultor ut, sicut fit in Decr. *Christus Dominus*, n. 30, prius definiatur paroecia, deinde vero agatur de modo gerendi paroeciam: geri nempe debet a parocho cum adiutoribus, qui non sunt pastores proprii.

His attentis, Rev.mus Secretarius Ad. hunc textum proponit:

« § 1. Paroecia est certa, quae in Ecclesia particulari constituitur, populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur sive uni sacerdoti, paroeciae parocho, sive pluribus insimul clericis, sub moderamine alicuius sacerdotis, paroeciae parochi, cooperantibus.

§ 2. Etiam si, certis in adiunctis, ad normam iuris, participatio in exercitio curae pastoralis paroeciae concredatur alicui communitati religiosorum aut religiosarum, sacerdos aliquis designetur qui, uti proprius paroeciae pastor, curam pastoralem moderetur.

§ 3. Paroeciae regula generali sit territorialis, quae scilicet complectitur omnes christifideles certi territorii; ubi vero, de iudicio Episcopi dioecesani, auditio Consilio presbyterali, id expeditat, constituuntur paroeciae personales, ratione nationis, linguae, ritus christifidelium alicuius territorii, immo vel alia ratione determinatae ».

Quaerit Exc.mus primus Consultor num communitati religiosarum committantur paroeciae. Exc.mus quartus et Rev.mus septimus Consultores respondent id nonnumquam fieri in America Latina.

Iuxta Rev.mum tertium Consultorem, parochus debet semper esse persona physica. Non concordant Exc.mi primus, nonus et secundus Consultores.

Suggerit Rev.mus Secretarius Ad. ut in formula canonis statuatur paroeciam committi posse sive uni sacerdoti sive coetui sacerdotum, cuius unus moderamen habet. Iuxta Rev.mum septimum Consultorem, si haec formula admittatur, bene determinari debet quando paroecia collata intelligatur uni sacerdoti, quando vero coetui sacerdotum. Aliis verbis, quaestio est num, ubi plures sint sacerdotes, ipso iure presumatur paroeciam collatam esse coetui qua tali.

Censet quoque Rev.mus sextus Consultor coetum seu « équipe » sacerdotum esse quidem formulam bonam, sed de facto haud facile applicari posse in Ecclesia universa, quia fere ubique desunt presbyteri: multis in nationibus desideratur ut saltem unus presbyter adsit pro singulis paroeciis. His rationibus accedunt Exc.mus quartus atque Rev.mi septimus et decimus Consultores.

Adiungit etiam Rev.mus sextus Consultor accuratissime determinandas esse quaestiones pro quibus moderatoris approbatio requiritur, ubi paroecia pluribus concredatur: hoc fieri debet in iure communi, ne de actorum validitate anxietates oriantur. Hac de re omnes concordant.

Suggerit Rev.mus tertius Consultor ut, in § 1, statuatur principium generale: paroecia committitur uni sacerdoti. Deinde vero nova redigatur §

2, ubi dicatur quibusdam in adiunctis paroeciam committi posse « pluribus insimul sacerdotibus » vel « alicui communitati sacerdotum » (hae expressiones adhibenda sunt, ne videatur agi de persona aliqua morali).

Hoc placet, sed, uti animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad., omnia haec contineri debent in unica paragrapho, quia definitio paroeciae dividi nequit.

His attentis, proponuntur suffragationes, in quibus provisorie approbantur tres paragraphi canonis propositi (§ 2 est nova, et quae prius erat § 2 nunc fit § 3; § 3 prius proposita fit canon separatus):

« § 1. Paroecia est certa, quae in Ecclesia particulari constituitur, populi Dei portio, cuius cura pastoralis, sub auctoritate Episcopi dioecesani, committitur sive uni sacerdoti, paroeciae parocho, sive, ubi adiuncta id requirant, pluribus insimul sacerdotibus, sub moderamine eorum unius sacerdotis, paroeciae parochi, cooperantibus, ad normam iuris.

§ 2. Ubi adiuncta id requirant cura diversarum paroeciarum insimul pluribus sacerdotibus concredi potest, ita tamen ut in hoc sacerdotum coetus eorum unus sit moderator ad normam iuris.

§ 3. Si, peculiaribus in adiunctis, ad normam iuris, participatio in exercitio curae pastoralis paroeciae concredatur alicui personae aut personarum communitati, sacerdos aliquis designetur qui, uti proprius paroeciae pastor, curam pastoralem moderetur ».

Can. 2

Approbatur formula proposita tamquam § 3 in pagina 24 huius Relationis (cfr. supra, pag. 110).

Deinde vero examinantur quidam Codicis canones qui respiciunt parochi potestatem non iurisdictionalem.

Can. 451 § 2 CIC.

Placet ut amplius sermo non fiat de quasi-parochis.

Placet etiam ut supprimatur divisio Vicariorum (in substitutum, adiutorem, etc.), et sufficit ut dicatur Vicarium paroeciale, parocho absente vel impedito, omnibus parochi facultatibus gaudere. Ubi plures sint Vicarii, has potestates habet antiquior nominatione.

Rev.mus tertius Consultor quaestionem ponit de aliis institutis quibus functiones paroeciales competunt, quales sunt rectoratus, vicariae perpetuae, etc.

Suggerit Rev.mus Secretarius Ad. ut, his attentis, nova § addatur, quae sic sonet:

« Vicarii, qui vi iuris particularis in vicaria perpetua ut pastores proprii constituuntur, in omnibus aequiparantur parochis, iis exclusis quae iure si-
ve universali sive particulari excluduntur ».

Can. 451 § 3 CIC

Servetur uti est.

Can. 452 CIC

Expungatur.

Can. 453 CIC

Servetur § 1. Paragraphus autem 2 alio modo redigi debet.

Can. 454 CIC

Quaestio ponitur de opportunitate nominandi parochos ad tempus.

Placet in genere ut prima nominatio fiat ad tempus determinatum, ex.
gr. ad quinquennium, deinde vero ut ulterior nominatio fiat ad tempus in-
determinatum.

Can. 455 § 1 CIC

Placet ut expungantur verba « exceptis paroeciis Sanctae Sedi reservatis ».

Fit disceptatio de verbis « sed salvo privilegio electionis ... », quae, iuxta
Exc.mum quintum Consultorem, expungenda sunt ad mentem Decr. *Christus Dominus*, n. 31. Iuxta Rev.mum tertium Consultorem, iura quaesita
servanda sunt et, in genere, amplior participatio tribuenda est laicis in desi-
gnatione personae.

Placet Consultoribus ut, hac de re, verba de quibus disceptatur expun-
gantur, sed maneant iura quaesita. Praeterea, proponente Rev.mo septimo
Consultore, qui expedire censet ut, quoad parochorum designationem,
norma statuatur similis illi, quae pro Episcopis condita fuit, sequentia ver-
ba addenda approbantur: « In designatione parochi, Episcopus rationem
habeat necessitatum pastoralium paroeciae, necnon votorum paroeciae
quae ipsas necessitates respiciant ».

Can. 455 § 2 CIC

Maneat quoad substantiam.

Can. 456 CIC

Loco « Ordinarius loci » dicatur « Episcopus dioecesanus ».

Can. 457 CIC

Expungatur.

Can. 458 CIC

Maneat quoad substantiam.

Can. 459 CIC

In § 1, formula esse potest: « ... illi conferendi, qui, omnibus adjunctis perpensis, idoneus reputetur », vel alia similis.

Paragraphus 2 unienda est § 1.

In § 3, expungendus est n. 1.

Paragraphus 4 expungatur.

Can. 460 CIC

Paragraphus 1 aptanda est definitioni paroeciae hac in Sessione approbatae. Paragraphus 2 non est necessaria.

Can. 461 CIC

Servetur quoad substantiam.

Can. 462 CIC

Exc.mis nono et primo Consultoribus non placet verbum « reservatae sunt ».

Animadvertisit etiam Rev.mus tertius Consultor hoc in canone, relate ad paroecias coetui sacerdotum commissas, distinguendum esse inter functiones quae uni moderatori competunt (nempe actus iurisdictionales) et alia quae ad omnes sacerdotes coetus pertinent.

His attentis animadversionibus, Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « Functiones quae ab ipso parocho vel, eo consentiente, ab aliis exerceri debent, sunt sequentes: « (Placet)

De singulis numeris huius canonis, sequentia statuuntur: 1º maneat. 2º et 3º maneant. 4º maneat quoad substantiam. 5º maneat. 6º maneat quoad substantiam. 7º maneat, sed expungantur verba « cum pompa » et « nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum has functiones peragat ».

In hoc elenco addatur praeterea: « celebratio solemnioris missae paroecialis in die dominica cum homilia ».

Can. 463 CIC.

Supprimantur §§ 1 et 2. Paragraphus 3 servetur, sed alia sit redactio.

V. DE VICARIIS FORANEIS

Uti dictum est in pagina 22 huius Relationis (cfr. supra, p. 109), placuit Coetui ut de hac quaestione ageretur post expletam materiam de paroeciis ac de parochis.

Solummodo perpensi sunt duo textus propositi ab Exc.mo nono atque a Rev.mo septimo Consultoribus, de quibus tamen disceptatio habita non est.

Textus propositi hi sunt:

a) Redactio Exc.mi noni Consultoris:

« § 1. Ut regimini dioecesis efficacius Episcopus provideat, necesse est ut constituat presbyteros qui sibi proximiores cooperatores sint et quibus committat munus pastorale indolis supraparoecialis exercendum erga personas sive in eadem determinata dioecesis parte degentes sive inter se aliquid habentes commune (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 29).

§ 2. Hi presbyteri vocandi sunt nomine Vicarii foranei, aut Archipresbyteri aut Decani, aut etiam aliis nominis quod modo aptiore missio-nem manifestet ».

b) Redactio Rev.mi septimi Consultoris:

« § 1. Vicarii foranei, Archipresbyteri seu Decani sunt sacerdotes quibus munus committitur pastoralem actionem communem sub auctoritate Episcopi promovendi ac moderandi in districtibus pluribus paroeciis constantibus.

§ 2. Officium Vicarii foranei determinatae paroeciae non est af-fixum »

(Cfr. Decr. *Christus Dominus*, nn. 29-30; M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, 19 § 1; cc. 445, 217).

VI. ALIA QUAESTIO PROPOSITA

Proposuerat Rev.mus decimus Consultor in suo voto sequentem tex-tum: « Si dioecesis sacerdotum penuria laborat, curet Episcopus ut mem-bra Curiae dioecesanae ad minimum necessarium reducantur ».

Hoc principium placet omnibus. In concreto vero, Rev.mus tertius Consultor censem hanc non esse rem in Codice ponendam. Iuxta Exc.mum primum Consultorem hoc principium valet pro omnibus dioecesibus, et non solum pro iis quae cleri penuria laborant.

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut de hac re aliquid dicatur in cano-nibus de Curia, de quibus agendum est in proxima Sessione. Hoc placet omnibus.

Ita expleta disceptatione de quaestionibus nunc prima vice Coetui pro-positis, committitur Rev.mo Secretario [Ad.] ut, omnibus attentis quae sive in discussione sive in votis Consultorum exposita sunt, schemata provisoria canonum appareat, in proxima Coetus Sessione perpendenda.

Preces tandem de more dicuntur et huic VIII^a Coetus Sessioni finis imponitur.

Romae, die 10 octobris 1970.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum**DE CURIA DIOECESANA**

(Praescripta generalia)

Can. 1 (CIC 363)

Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive qui loco Episcopi dioecesi praeest, opem praestant in regimine pastorali universae dioecesis. Ad eam pertinent instituta et personae quae ergo depulantur ut in actione pastorali dirigenda, in administratione dioecesis curanda necnon in potestate iudiciali exercenda partem aliquam habeant.

Can. 2 (CIC 364, § 1)

§ 1. Nominatio eorum qui officia in Curia dioecesana exercent spectat ad Episcopum dioecesanum.

§ 2. Eorum nominatio scripto consignetur, ad normam (can. 159).

Can. 3 (CIC 364, § 2)

Omnes qui ad officia in Curia admittuntur debent:

1° promissionem emittere de munere fideliter adimplendo, addito etiam iuramento, secundum rationem a iure vel ab Episcopo determinatam;

2° negotia ad se spectantia debita cum diligentia tractare, ad normam iuris.

3° secretum servare intra fines et secundum modum a iure aut ab Episcopo determinatos.

Can. 4 (CIC 365)

De causis atque de personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, serventur praescripta cann. (1573-1593); de iis quae ad administrationem dioecesis spectant, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 5 (novus)

§ 1. Episcopus dioecesanus curare debet ut omnia quae ad universae

dioecesis administrationem pertinent negotia debite coordinentur et ad bonum portionis populi Dei sibi commissae aptius procurandum ordinentur.

§ 2. Ipsius Episcopi dioecesani est coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis generalibus et Vicariis episcopalibus sunt commissa; Episcopo autem absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimpleat Vicarius generalis qui Caput est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

§ 3. Si id expedire iudicaverit ad ordinatum dioecesis regimen, Episcopus sibi constitutus Consilium episcopale, constans Vicariis generalibus et vicariis episcopalibus necnon aliis quibusdam personis ab ipso eligendis.

Can. 6 (novus)

§ 1. In unaquaque dioecesis ab Episcopo dioecesano nominetur Caput Curiae, cuius est sub eiusdem auctoritate coordinare labores quae ad universae dioecesis administrationem pertinent, salvo praescripto can. 5, § 2, itemque curare ut inferiores officium sibi commissum rite adimpleant; eiusdem etiam est, si casus ferat, communicationem publicam prelo aliisve mediis curare.

§ 2. Nisi locorum adjuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, Caput Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus.

Can. 7 (novus)

Acta Curiae quae effectum iuridicum habere nata sunt subscribi debent ab Ordinario a quo emanant, et quidem ad validitatem atque insimul a Curiae cancellario; qui vero cancellarius Caput Curiae de actis certius facere tenetur.

(Praescripta specialia)

1. De Vicariis generalibus et episcopalibus

(Hic venire possunt canones [septem] qui de Vicariis generalibus et episcopalibus probati sunt: cfr. supra, p. 59).

2. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali

Can. 15 (CIC 372)

§ 1. In qualibet Curia constituatur cancellarius, cuius praecipuum munus est curare ut acta Curiae redigantur et expediantur, ut eadem in Curiae

archivo custodiantur, ut ordine chronologico disponantur et de iisdem indicis tabula conficiatur.

§ 2. Si necesse videatur, cancellario dari potest adiutor, cui nomen sit vice-cancellarii.

§ 3. Cancellarius necnon vice-cancellarius sunt eo ipso notarii.

Can. 16 (CIC 373)

§ 1. Praeter cancellarium, constitui possunt alii notarii, quorum quidem scriptura seu subscriptio publicam fidem facit, et quidem sive ad quaelibet acta, sive ad acta iudicialia dumtaxat sive ad acta certae cause aut negotii tantum.

§ 2. Notarii assumi possunt etiam laici: in causis tamen quibus fama sacerdotis in discrimen vocari possit, debet esse sacerdos.

Can. 17 (CIC 374)

Officium notarium est:

1° conscribere acta et instrumenta circa decreta, dispositiones, obligationes aliave de quibus eorum opera requiritur;

2° in scriptis fideliter redigere quae geruntur, eaque, cum significacione loci, diei, mensis et anni subsignare;

3° acta vel instrumenta legitime petenti ex regesto, servatis servandis, exhibere et eorum exempla cum autographo conformia declarare.

Can. 18 (CIC 373, § 4-5)

§ 1. Cancellarius aliquique notarii ut nominentur, debent esse integrae famae et omni suspicione maiores.

§ 2. Cancellarii aliquique notarii ab officio removeri possunt ad nutum Episcopi dioecesani, non autem a Vicario capitulari (Administratore dioecesano), nisi de consensu Consilii presbyteralis.

Can. 19 (CIC 375)

§ 1. In unaquaque Curia erigatur, in loco tuto et commodo, archivum seu tabularium dioecesanum, in quo instrumenta et scripturae quae ad negotia dioecesana tum spiritualia tum temporalia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur.

§ 2. Documentorum quae in archivio continentur conficiatur inventarium seu catalogus, cum brevi singularum scripturarum synopsi.

Can. 20 (CIC 377)

§ 1. Archivum clausum sit oportet eiusque clavem habeant soli Episcopus et cancellarius; nemini licet illud ingredi nisi de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii licentia.

§ 2. (CIC 384). Documenta quae in Curiae aut paroeciae archivio sub secreto servanda non sunt, ius est christifidelibus quorum interest inspi-ciendi, itemque postulandi ut sua impensa sibi legitimum eorum exem-plum exscriptum aut photostaticum tradatur.

Can. 21 (CIC 378)

§ 1. Ex archivio non licet efferre scripturas, nisi ad breve tempus tan-tum atque de Episcopi aut Capitis Curiae et cancellarii consensu.

§ 2. Qui aliquam scripturam ex archivio effert, syngrapham sua manu signatam, hoc ipsum significantem, cancellario tradat.

Can. 22 (CIC 379)

§ 1. Sit Curiae dioecesanae aliud archivum, aut saltem in communi ar-chivo armarium seu scrinium, omnino clausum et obseratum, quod de lo-co amoveri nequeat, in quo scilicet scripturae secreto servandae cautissime custodiantur.

§ 2. Singulis annis destruantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint aut quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario textum sen-tentiae definitivae exhibente.

Can. 23 (CIC 380-382)

§ 1. Archivi secreti clavem habeant tantummodo Episcopus et cancel-larius aliasve sacerdos ab Episcopo designatus.

§ 2. Sede vacante archivum vel armarium secretum ne aperiatur, nisi in casu verae necessitatis, ab ipso Vicario capitulari (Administratore dioecesa-no) eiusve delegato.

§ 3. Ex archivio vel armario secreto documenta ne efferantur.

Can. 24 (CIC 383)

§ 1. Curet Episcopus dioecesanus ut acta et documenta archivorum quoque ecclesiasticorum cathedralium, collegiarum, paroocialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum diligenter serventur atque inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur.

§ 2. Acta et documenta de quibus in § 1 ut inspiciantur aut efferantur, serventur normae ab Episcopo dioecesano statutae.

*3. De examinatorebus dioecesanis**Can. 28 (CIC 385-390)*

§ 1. In quavis dioecesi constituantur examinatores dioecesani, numero de iudicio Episcopi requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in processibus de quibus in cann. (2147 et ss.).

§ 2. Examinatores dioecesani ad quinquennium eligantur a Consilio presbyterali inter sacerdotes ab ipso Episcopo propositos.

§ 3. Examinatores dioecesani ab Episcopo a munere ne removeantur, nisi ob gravem causam, ab ipso Episcopo, auditio Consilio presbyterali, a estimandam.

*4. De Consilio a rebus oeconomicis et de oecono**Can. 26 (novus)*

§ 1. In singulis dioecesibus constituatur Consilium a rebus oeconomicis, cui praesidet ipse Episcopus dioecesanus eiusve delegatus, et quod constat tribus saltem personis, in re oeconomica vere peritis et integritate praestantibus, sive clericis sive laicis, ab Episcopo, secundum normas ab Episcoporum Conferentia statutas, nominatis.

§ 2. Nisi Episcoporum Conferentia aliter statuerit, membra Consilii a rebus oeconomicis ad quinquennium nominentur, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia assumi possunt.

Can. 27 (novus)

§ 1. Consilii a rebus oeconomicis est quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum quae pro universo dioecesis regimine anno venturo praevidentur, necnon, anno exeunte, rationem accepti et expensi probare.

§ 2. Eiusdem Consilii assensu eget Episcopus dioecesanus ut expensas ordinet extraordinarias, quas scilicet ob adjuncta specialia in ratione erogationum non praevisa admittendas aestimet.

Can. 28 (novus)

§ 1. In singulis dioecesibus ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, nominetur oeconomus, qui sit, sive clericus sive laicus, in re oeconomica vere peritus et probitate prorsus praestans.

§ 2. Oeconomus nominetur ad quinquennium, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia nominari potest; durante munere ne amoveatur nisi ob gravem causam ab Episcopo, auditio Consilio a rebus oeconomicis, aestimandam.

§ 3. Oeonomi est, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam, ex quaestu dioecesi constituto, expensas facere quas Episcopus aliive ab ipso deputati legitime ordinaverint.

§ 4. Anno vertente, oeconomus Consilio a rebus oeconomicis rationem accepti et expensi reddere debet.

DE CONSILIO PRESBYTERALI

Can. 1

§ 1. In unaquaque dioecesi constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium representans, cuius est Episcopo in regimine universae dioecesis consiliis adiuvare, ut bonum pastorale portionis populi Dei ipsi commissae quam efficacius provehatur.

§ 2. Consilio presbyterali praeest Episcopus dioecesanus, quippe qui presbyterii sit caput.

Can. 2

Consilium presbyterale habeat propria statuta ab Episcopo probata, attentis normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

Can. 3

Ad designationem quod attinet sodalium Consilii presbyteralis:

1° Maior eorum pars libere eligantur a sacerdotibus ipsis ad normam canonum qui sequuntur necnon statutorum;

2° Aliqui sacerdotes, ad normam statutorum, esse possunt, aut, si ita ordinaverit Episcoporum Conferentia, esse debent, membra nata, qui scilicet ratione officii ipsis demandati, ad Consilium pertinent;

3° Episcopo dioecesano integrum est aliquos libere nominare.

Can. 4

§ 1. Ius electionis tum activum tum passivum ad Consilium presbyterale constituendum exercere valent:

1° Omnes sacerdotes saeculares in dioecesi incardinati qui insimul in eadem domicilium aut quasi-domicilium habent, aut in eiusdem bonum officium aliquod ecclesiasticum adimplent;

2° Sacerdotes saeculares in dioecesi non incardinati, necnon religiosi, qui in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habent et ibidem officium aliquod ecclesiasticum in foro externo exercent.

§ 2. Quatenus statuta id provideant idem ius electionis conferri potest aliis sacerdotibus qui domicilium aut quasi-domicilium in dioecesi habent, aut officium aliquod quod in bonum dioecesis exercent.

Can. 5

Modus eligendi membra Consilii presbyteralis a statutis determinandus est, ita quidem ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita aetatis maxime autem diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum.

Can. 6

§ 1. Consilium presbyterale gaudet voto consultivo, salvis praescriptis iuris universalis.

§ 2. Audiendum est in causis quae iure universalis statutae sunt, aut quae iudicio Episcopi regimen generale dioecesis respiciunt.

Can. 7

§ 1. Secundum statuta Consilium presbyterale constituatur ad tempus, ita tamen ut integrum Consilium vel aliqua eius pars intra quinquennium renovetur.

§ 2. Vacante sede Consilium presbyterale permanet, sed intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere, quo constituto prius a munere cessat.

Can. 8

Qui electus non amplius implet conditiones in can. 4 praevisas cessat a munere eiusque locum tenet qui vices eius supplet, secundum statutorum praescripta.

Can. 9

§ 1. Consilium presbyterale ab Episcopo convocetur saltem bis singulis annis.

§ 2. Praeterea convocetur si peculiaria dioecesis adiuncta id suadeant, sive de iudicio Episcopi sive de iudicio partis membrorum, non minoris quidem unius tertiae partis, a statutis determinatae.

Can. 10

Consilium presbyterale in tractandis causis quae ad regimen spectant operum pastoralium rationem habeat earum quae Consilium pastorale de operibus pastoralibus perpenderit atque proposuerit.

Can. 11

§ 1. Inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano elegantur aliqui sacerdotes, qui Collegium consultorum constituant, cui competunt munera iure determinata.

§ 2. Consilium presbyterale non constans plus quam septem membris implet munera quae iure Collegio consultorum competunt.

DE CONSILIO PASTORALI

Can. 1

In singulis dioecesibus, quatenus pastoralis sollicitudo id suadeat, constituantur Consilium pastorale cuius est sub auctoritate Episcopi ea omnia quae opera pastoralia spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

Can. 2

§ 1. Consilium pastorale constat personis quae in plena communione sint cum Ecclesia Catholica, rapresentantes tum clericos, tum religiosos, tum laicos, quaeque designantur modo ab Episcopo dioecesano determinato, secundum normas a Conferentia Episcoporum statutas.

§ 2. Maior pars membrorum sint christifideles laici.

§ 3. Personae quae deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constitutus revera reprezentetur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condicionum socialium et professionum, necnon partis quam sive singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent, praesertim vero attenta praestantia et prudentia quibus gaudent.

Can. 3

§ 1. Consilium pastorale constituitur ad tempus, iuxta praescripta statutorum, quae ab Episcopo dantur attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis.

§ 2. Sede vacante Consilium pastorale extinguitur.

Can. 4

§ 1. Consilium pastorale iuxta necessitates apostolatus convocare eique praeesse ad solum Episcopum pertinet.

§ 2. Saltem semel in anno convocetur.

Can. 5

Ubi iudicio Episcoporum provinciae vel regionis ecclesiasticae id expe diat, Consilium pastorale constitui potest pro universa provincia aut regione, sub auctoritate respectivae Episcoporum Conferentiae.

DE CANONICORUM CAPITULIS

(Textus provisorius donec responsiones habeantur Conferentiarum Episcopalia ad Litt.S.C.pro Clericis, mense aprilii 1970 datas)

Can. 1

Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, est clericorum collegium, cuius est functiones liturgicas sollemniores in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere; Capituli cathedralis praeterea est munera adimplere, quae ipsi ab ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur.

Can. 2 (CIC 391-392)

§ 1. Capitulum canonicorum cathedrale ubi exstet servetur, immo vel erigatur in dioecesis, in quibus, de iudicio Episcoporum Conferentiae, id expeditat.

§ 2. Capituli tum cathedralis, tum collegialis, erectio, innovatio aut suppressio pertinet ad Episcopum dioecesanum, attentis normis ab Episcoporum Conferentia regionis legitime statutis.

Can. 3 (CIC 393-414)

Unumquodque Capitulum, sive cathedrale sive collegiale, sua habeat statuta, per legitimum actum capitularem condita atque ab Episcopo dioecesano probata; quae statuta ne mutentur aut abrogentur, nisi approbante eodem Episcopo dioecesano.

Can. 4

§ 1. Statutorum Capituli, salvis semper fundationis legibus, est ipsam Capituli constitutionem et numerum canonicorum determinare; definire quaenam a Capitulo et a singulis canonicis ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum sint peragenda; ordinare conventus in quibus Capituli negotia aguntur atque, salvis quidem iuris communis praescriptis, conditiones statuere ad validitatem liceitatemque negotiorum requiras.

2. Statutorum etiam est determinare quaenam sint canonicorum insignia; item eorundem definire emolumenta, tum stabilia tum occasione perfuncti muneris solvenda.

Can. 5

§ 1. Inter canonicos habeatur qui Capitulo praesit, atque alia etiam constituantur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita traditionis in regione vigentis.

§ 2. Clericis qui non sunt canonici, qui quidem ad Capitulum non pertinent, committi possunt alia officia, quibus, ad normam statutorum, canonicis auxilium praebent.

Can. 6 (CIC 401 § 1)

Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et diocesanos extra territorium quoque dioecesis.

Can. 7

§ 1. Episcopi dioecesani, auditio Capitulo, non autem Administratoris dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopal, est omnes et singulos conferre canonicatus, tum in ecclesia cathedrali tum in ecclesia collegiali, revocato quolibet contrario privilegio; eiusdem Episcopi est confirmare electum ab ipso Capitulo, qui eidem praesit.

§ 2. Canonicatus Episcopus dioecesanus conferat sacerdotibus doctrina vitaeque integritate praestantibus, qui laudabiliter ministerium pastorale exercuerunt.

Can. 8 (CIC 415)

§ 1. Capitulo canonicorum ne amplius pleno iure uniantur paroeciae; quae unitae alicui Capitulo exstant, ab Episcopo dioecesano a Capitulo separentur.

§ 2. In ecclesia, quae simul sit paroecialis et capitularis, instituatur parochus, sive inter capitulares electus sive non; qui parochus omnibus gaudet officiis, iuribus et facultatibus quibus ad normam iuris pollent parochi (*Ecclesiae Sanctae*, I, n. 21 § 2).

§ 3. Episcopi dioecesani est certas statuere normas, quibus officia pastoralia parochi atque munera Capitulo propria debite componantur, qui busque prospiciatur ne parochus capitularibus nec Capitulum paroecialibus functionibus impedimento sit; conflictus, si quidam habeantur, diri-

mat Episcopus dioecesanus, qui imprimis curet ut fidelium necessitatibus pastoralibus debite prospiciatur.

§ 4. Quae ecclesiae, insimum paroeciali et capitulari, conferantur eleemosynae, praesumuntur datae paroeciae, nisi aliud constet.

Can. 9

§ 1. Episcoporum Conferentiae regionis est iudicare de opportunitate instituendi in dioecesis territorii canonicos ad honorem; qui, si haberi possint, Episcopi dioecesani, non autem Administratoris Apostolici aut dioecesani nec Vicarii generalis aut episcopal, est, auditio quidem Capitulo, eosdem, sive dioecesanos sive extra-dioecesanos, nominare, numero autem tantum in statutis Capituli definito.

§ 2. Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem ut nominet Episcopus dioecesanus, praeterquam ipsius Capituli, assensu eget Episcopi, cuius nominandus est subditus; quo assensu deficiente, nominatio est irrita.

Romae, 10 octobris 1970.

